

**3410**

Sancte,

De decuma, Victor, tibei Lucius Munius<sup>1</sup> donum  
 Moribus antiqueis pro usura<sup>2</sup> hoc dare sese<sup>3</sup> —  
 Visum animo suo perfecit, tua pace<sup>4</sup> rogans te  
 5 Cogendei dissolvendei<sup>5</sup> tu ut facilia faxseis<sup>6</sup>,  
 Perficias decumam ut faciat verae rationis<sup>7</sup>,  
 Proque hoc atque alieis doneis des digna merenti.

(iuxta videtur sculptum fuisse sacrificium).

*Reate ante ecclesiam cathedralem (I 542. IX 4672 descr. saec. XV Pomponius Laetus, a quo acceperunt plurimi, saec. XVI complures viri in describendo accurati et exercitati, ut Accursius et Budaeus, ita ut de lectione constet). Buecheler carm. epigr. n. 248. — 1) Munius qui viderunt omnes (unus Pomponius quid hoc locu legerit non satis constat), neque inauditum Muniorum nomen in Sabinis (IX 4274); Mummi nomen introduxit primus editor, quem secuti sunt reliqui omnes, cogitantes de L. Mummo consule a. 608 (supra N. 20 seq.). Sed in privatum hominem, mercatorem potissimum, congruere omne argumentum huius carminis iam Ritschelius observavit (opusc. 4 p. 103). — 2) Sic omnes qui viderunt; promiserat olim coniecit Mommsen (quod post hoc inseruit Ritschl opp. 4, 411). Decima, quam mercatores re bene gesta Herculi reddere solebant (Macrobius sat. 5, 6, 11), apte dici potuit deo reddi pro usura. — 3) Sententia hiat, culpa sine dubio poetae. — 4) Te non invito (Bue.) — 5) dissolvendei refertur ex Pomponii schedis. — 6) Precatur Herculem Munius, ut facultatem sibi praebeat cogendi et dissolvendi, in quibus rebus negotiatio consistit. — 7) Dei auxilium invocat in computanda decuma, ne error in hac re admissus fraudi sibi fiat (Mo.).*

**3411** M. P. Vertuleieis C. f.<sup>1</sup> |

Quod re sua dif[e]eidens asper (sic) | afleicta  
 parens timens | heic vovit voto hoc | solut[o,  
 de]cuma facta | poloucta leibereis lube[tes] (sic)  
 donu danunt | Hercolei maxsume | mereto.  
 Semol te | orant se voti crebro | condemnes.

*Sorae (I 4475. X 5708 Ritschl tab. LII a). Sunt versus Saturnii interstitiis in ipso lapide separati. Cf. Buecheler carm. epigr. n. 4. Ex simili carmine Saturnio, dedicato ab Aufidio quodam cum Herculi iterum decumam redderet, superest IX 5569 (= Buecheler carm. epigr. n. 5). — 1) M. et P. Vertuleii, Gaii filii.*

**3412** Herculei | C. Antestius Cn. f. | cens. | decuma facta iterum | dat.  
*Tibure (XIV 5544 bis vel ter descripta saec. XVIII).***3413** P. Ateius P. l. Regillus fecit | sibi et | P. Ateio P. l. Salvio,  
 patron., | pomario; is ter Herculi decumam fecit; | vixit ann. CII, et | Pri-  
 mae l. suae carissimae et | Ateiae Iollae patroni filiae.

*Prope Capuam, nunc Neapoli (X 5936 vidit Mommsen).*

**3414** Pomponia L. f. Nunnulei Herc. Vict. C. Nunnuleio C. f. Nudo leg.  
 | pro praet.

Pomponia L. f. uxor posuit.

*Tibure (XIV 5546 vidi). Tabula videtur sustinuisse donarium a Pomponia Herculi simul et memoriae vel honori mariti sui dedicatum.*